



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

LXXII. An etiam ingredi Monasteria virorum sit prohibitum mulieribus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

& in scriptis concedatur, & in libris Cancellaria eiusdem Ordinarii annotetur. Quod si predicti locorum Ordinarii per plures vices, vel in ulteriori gradu coniunctis, aut aliter, quam servata forma supradicta, licentias concesserint, vel permisserint, sciant se intentionis S. D. N. & sacra Congregationis transgressores iudiciumque reformident; Regulares autem penam in supradicto decreto contentam, ac si nullam licentiam obtinissent, eo ipso se noverint esse addictos, & arbitrio S. Congregationis, severius puniendos. Roma 12. Kal. Decembr. 1623.

8 Aduerte secundò, quod Religiosus afficiatur predicti decreti pœnis, etiam ob vnicum accessum; quia decretum loquitur de accedentibus sine licentia S. Congregationis, non autem de frequentantibus; Doctores, quos sequitur Rodrig. q. 45. art. 4. & Bonac. de claus. q. 3. punct. 5. n. 1.

9 Aduerte tertio, quod iisdem pœnis afficiatur Eques S. Ioan. Hierosolymitani, quia talis Eques est verè Religiosus; sic declarauit S. Cardinalium Congregatio, teste Campanili diu. Affuris Canon. rubr. 12. c. 16. n. 43. & Barb. de offi. & potest. Episc. 3. p. allegat. 102. n. 72.

10 Aduerte quarto, quod ex probabili dictis pœnis in conscientia non afficiatur Religiosus ante sententiam iudicis: quia de re satis dixi dub. 23.

11 Aduerte quinto, quod Religiosus (si sit exemptus, qualis hodie est ferè omnis) neque afficiatur censuris ab Episcopo contra Monialium Monasteria sine sua licentia adeuntes impositis, quia excommunicatio fertur solum in subditos. Quaranta verb. Monasteria Monialium, vers. dubitari. Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 3. num. 23. Rodrig. tom. 1. qq. Regular. quest. 45. artic. 2. & Barbosa cit. alleg. 102. num. 70. contra Gratium part. 1. decis. lib. 2. cap. 49. num. 68. & alios. Quamvis hodie si loquatur Religiosus cum Moniali (etiam in Monasterio exempto Regularibus subiecto) sine licentia Episcopi puniri possit modo, quo dicebam cap. 14. dub. 5. sect. 1. ab Episcopo, ex decreto Greg. XV. in Bulla de exemptorum priuilegiis, ibi: Adhuc tam Regulares, quam seculares huiusmodi nullis priuilegiis, aut exemptionibus tueri se possint; quamvis si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, aut circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo loci similiter tanquam ad hoc Sedis Apostolica delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant. Idemque S. Cardinalium Congregatio censuit, & Urbanus VIII. 1624. approbavit, quia de re vide quæ dicebantur cit. c. 14. dub. 5. sect. 1.

DVBITATIO LXXII.

An ingredi Monasteria virorum sit prohibitum mulieribus.

SUMMARIUM.

- 1 Ingressi virorum Monasteria est prohibitum mulieribus ex motu Pij V. qui incipit, Regularium Personarum, & ex motu Gregorij XII. ubi gratia.
- 2 Afferuntur verba præcisæ motus Pij V.
- 3 Religiosi grauius peccant, si feminas in sua Monasteria admittunt, secus tamen est si admittant feminas licite ingredientes.

1 **R**ESPONDETUR affirmatiuè; patet ex Motu Pij V. qui incipit Regularium personarum, ubi Pontifex, postquam reuocauit omnes ingrediendi Monialium Monasteria facultates, etiam à Sede Apostolica mulieribus, quamvis Comitissis, Marchionissis, & Ducissis concessas, subdit: Distinctè prohibentes mulieribus predictis facultates, & licentias præter-

dentibus, sub excommunicationis lata sententia penam, postquam harum literarum notitiam habuerint, à qua non possunt, nisi à Romano Pontifice absolui, præterquam in mortis articulo, ne dictas domos, vel Monasteria ingredi audeant; & statim etiam subdit alias pœnas Religiosis illas admittentibus. Idem patet etiam ex Motu Gregorij XII. Vbi gratia, in quo Pontifex interdicat ingressum, siue fœminarum, siue virorum in Monasteria Monialium, ingressum fœminarum in Monasteria virorum, de quo Motu in præcedentibus dubitationibus satis iam dictum est.

Ex his sequitur, Religiosos grauius peccare admittendo fœminas in sua Monasteria; tum quia id ipsis in dictis Motibus specialiter interdicitur sub grauib. pœnis; tum quia cooperantur dicto fœminarum, quamvis secus dicendum sit, si admittant fœminas licite ingredientes; quia has admittere non prohibentur, nec peccato vili cooperantur.

DVBITATIO LXXIII.

An sub hac prohibitione comprehendantur puellæ cuiuscumque ætatis, & etiam mente captæ?

SUMMARIUM.

- 1 Puella, quæ sunt apta impudicitis, hoc est maiores decem annis, vel quæ sunt apte Matrimonio consummando, id est quæ sunt duodecim annorum, secundum nonnullos comprehenduntur in dictis prohibitionibus vide dicta dub. 30. & 31.
- 2 Mulierum nomine in pœnalibus comprehenduntur solum quæ vel impudicitis, vel matrimonio consummando aptæ sunt; at secus est in dictis prohibitionibus, in quibus Pius V. voluit comprehendere quasque ætates aptas ad rationis vsum, & mente captas puberes, etsi à peccato ista posteriores possint excusari.
- 3 Legis intelligentia desumenda est ex ratione legis, quæ est anima legis.
- 4 Puella minores septennio, maiores tamen sexennio secundum aliquos comprehenduntur in dicta prohibitionem.
- 5 Mulier ingrediens Religiosorum Monasterium, in quo scit hic & nunc nullum Religiosum esse, probabilius peccat mortaliter, & contrahit censuram; quia per accidens est in aliquo casu non violari finem legis.

RESPONDETUR, quod licet nonnulli, vt Llamas in Append. §. 13. ad fin. putent comprehendere tantum puellas, quæ sunt aptæ impudicitis, id est, quæ sunt maiores decem annorum; & alij, vt Sorbus in compendio priuileg. Mendicant in Annotat. n. 2. putent, comprehendendi tantum puellas quæ sunt aptæ matrimonio consummando, id est, quæ sunt duodecim annorum completorum, nisi malitia suppleat ætatem (tamen probabilis de hac re dicitur id, quod dixi dub. 30. & 31. de ingressu puerorum, & puellarum in Monasteria Monialium; quia prorsus utrobique est eadem ratio. Vide ibi.

Obiiciunt: Pius V. in dicto suo Motu, Regularium personarum, loquitur de mulieribus: at nomine mulierum præsertim in pœnalibus comprehenduntur solum; quæ impudicitis, vel matrimonio consummando aptæ sunt: ergo, &c. sic Llamas, & Sorbus in loc. sup. cit.

Respondetur, quod licet Pius V. in hoc suo Motu vltus sit nomine mulierum, reuerà tamen ob rationes in cit. dub. 30. dictas voluit comprehendere quasque ætates aptas ad rationis vsum, & mente captas puberes, quæ